Sermo de Rusticiano subdiacono (Latin)

Augustine of Hippo (AD 354–430)

SermonIndex.net / Church Fathers

Sermo de Rusticiano subdiacono

Appendix. I. Sermo De Rvsticiano Svbdiacono
Hunc sermonem e codice quodam Cellensi erutum edidit Hieronymus Vignierius in secundo tomo Supplementi. Augustiniani (Parisiis 1654); repetiui deficientibus libris manu scriptis textum uulgatum (v) orthographia correcta.

Sermo De Rusticiano Subdiacono
Adhuc maerens et dolens, fratres, sisto me sanctitati uestrae; nec enim praeteriti casus - dicam mei dicam uestri? — dolorem potui digerere. ter conatus sum uerbum, unde debitor sum, uobis subministrare: totiens et meae et uestrae lacrimae conantis uocem suppresserunt nec potui melius curas quibus premebar quam ubertate lacrimarum explicare. quid ergo fiet? numquamne meo, numquam uestro luctui limes statuetur? quotiens me uidebitis intrantem, non cessabitis pectora tundere et gemitus dare? quotiens uos congregatos uidero, in lacrimas ibo et suspiria? tempus lugendi et mihi et uobis circumscripserunt eloquia diuina nec dolui cum uos lacrimantes uidi — et ad Lazari recordationem fleuit dominus Iesus Christus et qui eum flentem uidebant Iudaei dixerunt: ecce quomodo diligebat eum! —, immo potius si quid in lacrimis iucundum, si quid gratum esse potest, illud e uestris collegi. dicebam enim intra me: \'ecce quomodo diligebant eum!) qui patrem tanto affectu prosequebantur, eundem dabunt et filio qui eorum pater factus est. heredem oneris facient heredem amoris; qui succedit honori, succedet et caritati. bonum ingredienti omen est antiquae in pastorem dilectionis in ouibus signa uidere. fiet amoris translatio in eum cui facta est curarum collatio, nec mutato pastore cessabunt eum diligere qui debet oues pascere, cuius uocem audient et qui deo teste conscientia teste paratus est cum adiutorio domini pro ouicularum minima animam suam impendere et superimpendere.

Si quae ratio dolendi, si flendi, tota mea est, non uestra, non eius cuius tangimur desiderio. solutus est ille, uinctus ego; stadium emensus, curro; in patria est, unde peregrinor; curas quas deposuit in sinu meo reposuit; clauum bene tenuit, de me quid fiet nescio; appulit, fluctuo; e litore uidet iratum pelagus, furentes procellas, exclamo in mediis fluctibus: salua nos, perimus. et uere perimus et uere periculum urget et uere caput meum impellit non meum tantum periculum, sed et uestrum; nam sine uobis saluus esse non possum, uestrarum animarum iactura mea est. quidquid domino meo de uobis perit, periculo meo perit; rationem sum redditurus, pellem pro pelle. misericordem dominum habeo, sed rigidum computa-

torem: ouiculas suas cotidie numerat, has in manibus descriptas habet, exigit numerum, quem si non reddidero ingens capiti meo periculum creatur. uidete, fratres, si sarcinam meam considerans a lacrimis possum temperare, si de graui onere meo non mihi dolendum est. pondus meum alleuiate. faciet caritas uestra quod immane est mitius et adiuuante domino et pastor et ouiculae pascua inuenient, et postquam in meridie cubauerint, accumbent cum Abraham, Isaac et Iacob, ubi non erit sol neque ullus aestus, sed in umbra domini pax et refrigerium, quando luctus noster uertetur in citharam et noces flentium in cantus exsultantium.

Ceterum, dilectissimi, dum de pastore erepto lugemus, nascitur de perdito fratre dolendi occasio. praecisum est a nobis membrum, pars nostri facta est pars Donati, transiit miles domini ad castra Philistinorum et de uase honoris factum est uas dedecoris. intellegitis quid dico. miser ille Rusticianus Mutigensis diaconus sacramentum quod ecclesiae debebat abiecit et ordinem suum infideli participatione polluit. quid non feci, quos non adhibui conatus, ut in praecipitium ruentem in plano collocarem et eximerem periculo, qui periculum amabat in quo periit! is prima et urgens fuit cura mea qui nunc est dolor meus. nolebam mihi subtrahi in ipso oneris mei exordio quem a satis longo tempore uidebam tamquam fulgur de caelo cadentem. et licet ipse exigentibus peccatis suis a domino deseri meruerit, doleo tamen quod de eo ad dominum meum dicere non possum: \'ecce me cum pueris quos dedisti mihi.\'

Uobis omnibus notum scio et tam bene scio, quia scio uestrorum multis moras quas hic trahebat displicuisse. quotiens uenerandus noster Ualerius me praesente cum uisceribus paternis dixit ad eum: \'quid hic agis? cur stationem tuam deseris? cur presbytero tuo non collaboras? cur Hipponem Mutigenae praefers cui alligatus es?\' et cum responderet se ad solitudinem minime idoneum clericatum, non monachatum iniisse, se nullos Mutigenae habere cum quibus uersaretur, respondebat sanctus senex: ea II i gat u s es uxori? noli quaerere solutionem. tua est ecclesia Mutigensis, non nostra; ad eam nomen, non ad Hipponem dedisti. nonne saeculo renuntiasti, nonne amicis, nonne sanguini?\' audiebat dicentem, sed male audiebat qui dicenti non obsequebatur. quid factum est? cum satis festinus haberetur indolisque ad scurrilitatem procliuioris, inter nugas saeculi, inter conuiuia et compotationes diurnas, saepe etiam nocturnas tandem defecit; exstinctus est spiritus timoris domini, de luto in lutum prouoluitur. alternis uicibus et alios inuitans et ab aliis inuitatus et conuiua et conuiuans, cum aeri quod contraxerat soluendo non esset et a creditoribus urgeretur et se cotidianis implicaret erroribus et plurimis scandalum crearet, tandem a presbytero suo excommunicatus ad Donatistae transfugit et ab eorum episcopo non tantum exceptus, quod contra ius ecclesiarum est, non tantum rebaptizatus est, quod impium est, sed etiam diaconus, quod maxime lugendum, factus est.

Haec ego cum primum accepi, aberat uenerandus senex noster Ualerius, sed commota uiscera dilationem minime passa sunt. ingemui dolui, pro eo in conspectu domini mei effudi animam meam. et quia mihi a multis relatum fuerat Macrobium episcopum Donatistam ad quem confugerat uirum esse pacificum non longe a regno dei et a concordia fratrum,

qui si aliquos rebaptizaret id inuitus faceret, hunc litteris conuenire statui et quam obnixis precibus ad eum per amicos agere, ut in subdiacono nostro baptismum Christi non exsufflaret nec iterum baptizaret, quem in nomine dei et baptizatum et signatum fuisse non nesciret. aegre litteras nostras admisit, sed tandem Maximi et Theodori quibus illud negotii iniunxeramus precibus adactus est, ut eas recitari sineret et ipse etiam legeret. quibus nihil aliud respondit quam: non possum nisi ad me uenientes suscipere et eisdem fidem quam postulauerint dare. cumque de Primiani facto instarent, dixit non esse filii in patrem inquirere. et quia per litteras quas ad Macrobium dedi rogabam, ut responderet quae coram populo nostro legerentur, si uero recusaret, me nostras recitaturum, cum primum abessent milites, hodie, fratres, fidem meam libero. nullus adest qui possit turbas ciere, noui uos omnes ad concordiam et ad alienos amplectendos promptiores esse quam ut excitem. litteras ad Macrobium profero, ut actorum nihil conscientiam uestram lateat, sed apud deum et homines innotescat quam sincero corde, quam pacifico affectu inspirante domino rem tractauerim. quodsi postea perit frater noster, in sua, non in nostra conscientia peribit. ueniet dominus qui hos et me iudicabit; ueniet certe frumentum asserturus, paleam dispersurus. aquas nostras quas tantopere formidant ipse examinabit et coram omnibus manifestissime iudicabit, an quas pollutae dixerint ipse quoque habeat. certe uidebunt in quem pupugerunt. quid enim est aliud christianum rebaptizare quam dominum iterum pungere? signum regis accepit, crucem admisit, in morte Christi tinctus est. quid aliud facis qui talem bis baptizas, qui regis signum exsufflas, qui crucem expungis, quam mortem domini inanem et uacuam reddere uniuersam salutis nostrae dispensationem ostentui habere?

Aqua nostra non est aliena, uirgo est et sancta. in fontem nostrum descendit spiritus, quos irrorat sancti sunt. uideant qua temeritate pollutos astruant, quos talibus undis aspersos nouerint. o sacrilegam nouitatem, o uocem impiam! sanctificauit deus aquas in initio mundi per spiritus incubationem. ex eis tot et tanta prodierunt miracula., quae de aquarum nostrarum sanctitate nos erudirent et de ueritate quorum umbrae erant instruerent et de regeneratione quam in aquis haurimus certos facerent, et eas alienas uocant et ab his abstinent et mendaces dicunt et omnem eis fidem abrogant. erit itaque uerax aqua Primiani, quem tam immani anathemate percussistis, quem tantorum scelerum in uestro conuentu reum iudicastis nec tamen quos baptizauit iterum tinxistis, et ecclesiae catholicae, columbae nostrae, sponsae immaculatae, infideles impurae mendaces aquae apud eos erunt? dicent forsan: (mendaces erant qui Primianum innocentem damnarunt, et ideo eius aquae mendaces non fuerunt\'. sed quid dicent de Feliciano et Praetextato, qui Primianum damnauerunt et ab illo tam grandi schismate discesserant? an quos baptizauerant noua et recenti tinctione ecclesiae suae pepererunt? nequaquam. Feliciani et Praetextati aquae fideles, qui postmodum coierunt et aduersus ecclesiam catholicam insani foederis communione conspirauerunt, aquae uero nostrae infideles et profanae? o insana et peruersa cogitatio!

Addunt etiam: qui baptizatur a mortuo quid est lauacrum eius? erratis, miseri, non intellegentes scripturas. non dicimus baptismum, quo tingunt illi quos uelut mortuos a uiuorum communione separamus, nihil esse, sed nihil prodesse, quamdiu inter mortuos uiuitur. tolle quod obest, iam prodest; quod extra accepisti proficiet cum intus fueris. emenda baptiza-

tum, sufficit. latens in semine uirtus incrementa sumet, spiritum dei ex alto induet, et qui in Christo per baptismum sepultus fuerat licet foris, postquam in ecclesiae sinum admissus fuerit et mortuos reliquerit sepelire mortuos suos, sentiet aquam fidelem nec haereticorum contagiis pollutam et paternam uocem ad cor audiet: ecce filius meus mortuus erat et reuixit, perierat et inuentus est. filius meus, quem obstetricantibus undis genueram, mortuus erat, quia de spiritu meo non uiuebat, et reuixit, quia abiecto mortuorum consortio ad locum uitae rediit; perierat, quia eodem cum impiis naufragio abreptus fuerat, inuentus est,. quia per salutarem tabulam, hoc est paenitentiam, tandem portui, hoc est ecclesiae, redditus. ut hoc de illis eueniat, fratres, quam obnixe possumus a domino petamus, ut, quemadmodum unus est baptismus, una aqua, una fides, sic etiam una caritatis professio nec inter nos alia amplius audiatur quam meliorum charismatum aemulatio.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sancti Aureli Augustini Opera*** edited by Michael Petschenig (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1910) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 53), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.